



LIBER PRIMVS REGVM.

CAPVT PRIMVM.



FVIT vir vnus de Ramathaimfophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Ieroham, filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, Ephrathæus: 2. & habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi. 3. Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni & Phinees, sacerdotes Domini. 4. Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes: 5. Annæ autem dedit partem vnã tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluderat vuluam eius. 6. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret quod Dominus conclusisset vuluam eius: 7. sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini: & sic prouocabateam, porro illa flebat, & non capiebat cibum. 8. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum, quam decem filij? 9. Surrexit autem Anna postquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super Sellam ante postes templi Domini, 10. cum esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter, 11. & votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius. 12. Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obseruaret os eius. 13. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli remulentam, 14. dixitque ei: Viquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades. 15. Respondens Anna, Nequaquam, inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. 16. Ne reputes ancillam tuam quasi vnã de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta sum vsque in præsens. 17. Tunc Heli ait ei: Yade in pace: & Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. 18. Et illa dixit: Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, & comedit, vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati. 19. Et surrexerunt manè, & adorauerunt coram Domino: reuersique sunt, & venerunt in domum suam Ramatha. Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam: & recordatus est eius Dominus. 20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuel: eo quod à Domino postulasset eum. 21. Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hostiam sollempnem, & votum suum, 22. & Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablaçetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter. 23. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablaçtes eum: precorque vt impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte. 24. Et adduxit eum secum, postquam ablaçtauerat, in vitulis tribus, & tribus